

plicant N. Complur. abbrev. in Phys. disp. 9. quæst. 3. quorum doctrina ibi tradita, qua recolenda omnino est, potest facillimo negotio adaptari amoris finis, necnon actioni imperatae, dum assumitur ut ultimus finis. Siquidem prædicta actio potest considerari dupliciter; vel secundum se, quo pacto solum accipitur secundum suam bonitatem obiectivam; vel prout procedit imperative à voluntate, & hoc modo sicut actio imperans tendit ad eam secundum se tanquam ad finem, ita ipsa actio imperata ut secundum se terminatur ad seipsam tanquam ad finem; quia utraque actio est veluti unica operatio. Neque deficit sufficiens distinctio realis, ut sit propter seipsam vel finem: siquidem datur distinctio saltem modalis, ratione eius quod participat physicè, aut moraliter ex imperio voluntatis.

45 Difficultas tamen potest esse *primò*: An actus, qui supponunt finem adeptum, sint proprie propter finem? Pro resolutione advertit, fructuionem seu delectationem de fine adepto esse in duplici differentia, alia enim est necessaria, ut fructio beatifica; alia libera, ut fructio de quolibet alio fine adepto. Igitur Gregorius Martinez, Gonet, & alij sentiunt, nullum ex his actibus esse propter finem, sed facere quid vnum cum fine. Sed probabilius est oppositum. Et suadetur ex illo Div. Thomæ, qui ait: quod omnes actiones humane sunt propter finem, delectatio autem vtriusque generis est proprie humana, ut de delectatione, & fructuione beatifica diximus supra num. 38. & de fructuione libera perspicuum est. Maxime, quia licet consequatur ad adeptionem finis, reverà distinguitur à fine obiectivo, & est actus tendens ad eum: ergo respicit finem ut finem per modum obiecti; hoc autem satis est ad hoc, ut sit propter finem: ergo.

46 Difficultas *secundò* est: An detur actus in voluntate, qui nec sit circa finem, nec circa media? Affirmant Salas, & alij: exultant enim, quod potest abstrahi ratio boni à bono finis, & à bono medij, cuius amor neque erit amor finis, nec amor medij; prout de quibusmodi affectus non erit propter finem. Sed negativa est communis inter Theologos. Et suadetur hac ratione efficiaci: nam inter appetibile ratione sui, & ratione alterius nullum datur medium: ergo vel amor appetit bonum ratione sui, vel ratione alterius; si primum est amor finis formaliter ut talis; si secundum, erit amor medij.

Ad rationem pro opposita sententia respondetur, dato, & non concessio, quod possit abstrahi prædicta ratio ab intellectu, nihil conducere ad hoc, ut voluntas possit ab ea moveri. Tamen, quia voluntas nequit perse primò moveri nisi à suo obiecto primario, quod est præcisè finis. Sicut licet intellectus divinus possit

cognoscere rationem boni, prout abstrahit à creato, & increato, voluntas tamen divina nequit moveri ab huiusmodi bono perse primò; sed à bono divino perse primò, & à creato ratione illius. Tum etiam: nam cognitio illa est mere speculativa, & hac de causa inepta est ad excitandum affectum aliquem voluntatis. Adde: quia ratio illa abstracta abstrahit ab existentia, & ab ordine ad illam, ob quam rationem possibilia non terminant voluntatem. Diximus dato, & non concessio: quia reverà prædicta ratio nequit abstrahi ab intellectu, quia est analogà.

§. III.

Secunda assertio.

47 **D**icendum est *secundò*, actiones liberae Dei sumptas secundum terminationem passivam esse proprie propter finem, qui sit vera causa finalis; quoad terminationem activam esse propter finem, qui sit tantum ratio finalis. Hanc conclusionem, quoad omnes suas partes perpetuò tradit D. Thomas, ut ex locis infra referendis aperte constabit. Et quoad primam probatur ratione: Nam actio Dei libera sumpta secundum terminationem passivam nihil aliud est, quam ipsemet effectus productus: ergo si Deus, dum producit suos effectus, intendit aliquem finem, qui sit realiter distinctus ab ipso effectu, proculdubio actio Dei secundum terminationem passivam est proprie propter finem, qui sit vera causa finalis: supposita enim distinctio reali inter effectum, & finem à Deo intentam, nihil aliud desiderari valet ad hoc, ut agat propter finem, qui sit vera causa finalis. Iam si, sed Deus in omnibus suis actionibus passivè sumptis se habet huiusmodi: ergo omnis actio libera Dei secundum terminationem passivam est propter finem, qui sit vera causa finalis. Minor subsumpta, in qua tantum potest esse difficultas, suadetur: nam Deus in omnibus suis operationibus liberis producit determinatos effectus: ergo in ordine ad determinatos fines: determinatio enim effectus ex determinatione finis perse dependet, aliàs casu, & fortuito illos effectus producere; sed nullus est effectus creatus, qui non habeat finem realiter distinctum, vel quia bonitas divina est finis omnium creaturarum, iuxta illud Proverb. 16. *Omnia propter senectipsum operatus est Dominus*, vel quia nulla est res creata (decepta vniòne hypotatica) quæ ad alias, sicut ad finem proximum, non ordinetur: ergo. Hanc rationem resumit D. Thomas 1. part. quæst. 19. art. 1. ad 1. his verbis: *Dicendum, quod licet nihil aliud à Deo sit finis Dei, tamen ipsemet est finis respectu omnium, quæ ab eo sunt.*

48 Quoad secundam partem probatur etiam ratione: Nam bonitas divina allicit vo-

luntatem divinam ad diligendas creaturas; sed quamvis ei repugnet exercere veram rationem causæ finalis respectu actionis Dei active sumptæ, non tamen ei repugnat exercere veram rationem finalem: ergo actio libera Dei active sumpta non est propter finem, qui est vera causa finalis, est tamen propter finem, qui est vera ratio finalis. Minor probatur: nam ad hoc, ut exerceat veram rationem causæ, opus erat, ut distingueretur realiter ab actione, ad hoc verò ut sit finis per modum tantum rationis finalis, satis est, quod sit ratio à priori, & distincta virtualiter; sed repugnat actionem divinam active sumptam distingui realiter à bonitate divina, non tamen repugnat, quod sit distincta virtualiter ab ea, nec quod respiciat illam veluti rationem à priori, ut in alijs prædicatis divinis liquet: ergo bonitas divina licet non sit vera causa finalis respectu actionis libere Dei active sumptæ, est tamen vera ratio finalis. Quam rationem etiam tradit D. Thomas breviter, & dilucidè 1. Contra gent. cap. 87. ubi ait: *Quamvis autem aliqua ratio divine voluntatis assignari possit, non tamen sequitur, quod voluntatis eius sit aliqua causa.* Ex proximè dictis, & ex dictis duobus §. precedentibus satis constat, quid dicendum sit de actibus necessarijs voluntatis divine. Contra hanc conclusionem non est difficultas alicuius ponderis, quæ enervata non maneat tract. de Volunt. Dei disp. 1. dub. 3. alijsque in locis eiusdem tractatus.

49 Sed pro complemento huius §. inquiret *primò*: An creaturæ comparentur proprie per modum medij in ordine ad voluntatem, & bonitatem divinam: & quo pacto comparentur ad eas? Pro cuius resolutione suppono ex dictis dub. 1. num. 4. & 9. medium ut medium, importare utilitatem tum ad finem, tum ad appetitum. Quo supposito, respondetur negative. Quæ resolutio est conformis doctrinæ D. Thomæ: nam in 3. dist. 32. quæst. 1. art. 2. ad 2. docet, amorem Dei erga creaturas esse benevolentiam, & non concupiscentiam; sed amor medij formaliter ut talis est concupiscentia, & non tantum benevolentia, ut non obscure colligitur ex his, quæ docet in hac 1. 2. quæst. 26. art. 4. ergo creaturæ non sunt proprie media in ordine ad Deum.

Et probatur ratione. Nam creaturæ nullam dicunt utilitatem respectu voluntatis & bonitatis divine: ergo non exercent proprie rationem medij in ordine ad eam. Consequencia est legitima, iuxta suppositionem factam. Antecedens verò probatur: Tum, quia si creaturæ essent viles respectu bonitatis divine, hæc haberet indigentiam illarum; sed implicat, Deum aliquo modo gerere ergo nullam dicunt utilitatem in ordine ad bonitatem divinam. Tum etiam: nam, quod est vtile alteri, præstat aliquem influxum in il-

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

lud, sed creaturæ nullum influxum possunt præstare in bonitatem divinam: ergo.

50 Nec proderit dicere, creaturas conducere ad manifestationem bonitatis divine: quod sufficit ad rationem medij proprie dicti. Non (inquam) proderit: Nam pro manifestatione bonitatis divine vel intelligitur ipsa manifestatio passiva, quæ coincidit cum creaturis; vel manifestatio activa, quæ est ipsa bonitas Dei. Si dicatur secundum, nihil contra nos, ut ex se liquet. Si primum, falsum est creaturas esse viles ad prædictam manifestationem, cum nullum influxum præstent in eam.

Deinde probatur alia ratione. Pro cuius luce recolenda est doctrina tradita loco nuper citato num. 36. circa distinctionem amoris affectivi, & effectivi. Qua supposito, reductur hæc ratio ad hanc formam: nam id, quod non amatur amore pure affectivo, nequit habere proprie rationem medij, sed Deus nequit amare creaturas amore pure affectivo: ergo nequeunt habere rationem medij respectu Dei. Minor ex ibidem dictis supponitur. Maior verò probatur: nam id, quod eligitur per modum medij, præsupponitur cum aliqua bonitate, & vtilitate in ordine ad finem: ergo non terminat amorem pure effectivum, sed affectivum: ergo contra rationem medij proprie talis est, quod terminet amorem pure effectivum.

51 Ex his inferri potest, rationem proximam ex parte creaturarum terminandi dilectionem divinam esse similitudinem extensionem bonitatis divine, passivamque eius diffusionem, ratione cuius ad Deum trahuntur & approximantur. Ita D. Thomas 1. part. quæst. 19. art. 2. & 1. Contra gent. cap. 79. Et probatur breviter: nam ratio terminandi amorem Dei ex parte creaturarum non est ratio finis, ut supponitur, nec ratio medij, ut supra probatum est; sed nequit vltra has rationes alia aptior assignari præter similitudinem extensionem bonitatis divine per modum cuiusdam diffusionis passivæ, aut terminationis secundariz: ergo hæc est ratio proxima ex parte creaturarum terminandi dilectionem divinam. Et confirmatur: Nam cum finis vnicuique terminandi dilectionem divinam sit sua bonitas, illa erit ex parte creaturarum ratio proxima illam terminandi, ratione cuius ad illam ordinantur; sed creaturæ ordinantur ad bonitatem divinam, quia sunt participationes passivæ illius: ergo hæc participatio, & similitudo passiva ex parte creaturarum est ratio proxima terminandi dilectionem Dei.

52 Sed obijcies *primò* ex Div. Augustino lib. 1. de Doctrina Christi, cap. 31. ubi sic de Deo loquitur: *Non igitur fruitur nobis, sed vitatur, nam si neque fruitur, neque vitatur, non invidio, quem admodum diligit.* Et confirmatur ex D. Thom. 1. part. quæst. 19. art. 2. ubi de Deo dicitur:

Qq 2

Vuls

Vult se esse, & alia; sed se ut finem, alia vero ut ad finem; sed quod diligitur ut ad finem, diligitur per modum mediij: ergo creaturae sunt proprie medium respectu bonitatis divinæ. Adde: Nam in 3. dist. 32. quest. 1. art. 2. docet, quod Deus amat creaturas amore concupiscentiæ: ergo diligit eas per modum mediij.

Obijciunt *secundò*: Nam in Deo datur proprie electio terminata ad creaturas; sed obiectum proprium electionis est medium ut tale: ergo diligit eas tanquam media. Maior probatur *primò*: nam amor, quo Deus diligit creaturas, non est simplex volitio, aut intentio, cum non respiciat eas ut finem: ergo est electio. *Secundò*: Quia dum Deus amat D. Petrum in ordine ad beatitudinem, elegit hęc media præ alijs in ordine ad illam: ergo est in eo proprie electio.

Confirmatur *primò*: Nam inter appeti per modum finis, & per modum mediij nullum datur medium, quia opponuntur contradictorie, cum sit idem, ac appeti propter se & non propter se; sed Deus non diligit creaturas ut finem: ergo ut media. ¶ Confirmatur *secundò*. Nam ita se habet Deus in ordine ad creaturas, sicut nos per charitatem; sed nos diligimus per charitatem creaturas ut media: ergo etiam Deus.

53 Ad primam obiectionem respondetur, D. August. non loqui de usu proprie dicto, qui solum terminatur ad vile tam fini, quam appetenti; sed de usu large & materialiter accepto, quatenus vitur aliquibus creaturis, ut sint viles alij. Quæ expositio aperte constat ex verbis, quæ immediate subtextit: *Sed neque se vitur ut nos*. Et cap. 22. adiecit: *Ille igitur usus, qui dicitur Dei, quo nobis vitur, non ad eius, sed ad nostram utilitatem refertur*. ¶ Ad confirmationem respondetur, non esse univrsaliter verum aliquid amari ut ad finem, & amari ut medium; alias quilibet habitu ad finem esset mediij formaliter ut talis; quod est falsum, ut supra probatum est. Ad additamentum respondetur, D. Thomam nunquam docere, quod diligit Deus creaturas concupiscentiæ sibi, sed potius oppositum, ut potest videri loco citato. Vnde ex hac parte non respicit illas ut media.

Ad secundam obiectionem respondetur, electionem posse sumi dupliciter; vel prout dicit electionem vnus inter multa; vel prout dicit actum versantem circa media ut media, hoc est circa vile & conduens ad finem: electio in hac secunda acceptione est propria electio, secus vero in prima. In Deo autem tantum datur electio secundum primam acceptionem; Ideoque non respicit creaturas ut medium. ¶ Ad primam probationem dicimus, quod dilectio Dei, quatenus terminatur ad creaturas,

non debet dici proprie simplex volitio, intentio, aut electio: quia tantum dicit quandam extensionem secundariam illius actus, qui per modum simplicis volitionis terminatur per se primò ad bonitatem divinam. Potest tamen virtualiter eminenter dici simplex volitio, intentio, & electio: quia sine vlla imperfectione prestat omnia ea, quæ in nobis isti actus separati exercent. ¶ Ad secundam probationem dicimus, quod Deus diligens merita nostra in ordine ad beatitudinem, diligit id, quod est medium quoad nos, non verò quoad Deum. Idemque dicendū est de beatitudine, ut est finis meritum.

54 Ad primam confirmationem respondetur, appeti per modum finis, & appeti per modum mediij esse immediatè contradictoria in amore pure affectivo seu concupiscentiæ, id est in amore creato; secus verò in amore effectivo, seu divino. ¶ Ad secundam respondetur, permissa maiori; negando minorem: quia charitas creata non diligit creaturas ut viles, aut sibi, iuxta illud Apost. 1. ad Corinth. 13. *Non querit, quæ sua sunt*, aut fini, id est, bonitati divinæ, ut supponitur: vnde nec charitas creata respicit illas ut media. Est tamen notabile discrimen inter charitatem creatam, & divinam, quod amor, quo Deus diligit creaturas, cum efficiat suum obiectum, est pure effectivus; econtrà amor, quo charitas creata diligit eas, cum supponat in eis bonum, quod amat, & non efficiat, est amor pure affectivus. Alio ex capite amor charitatis creata est affectivus, secus verò amor charitatis divinæ: videlicet, quia amor creatus, ut potè talis, supponit ex parte amantis aliquam potentialitatem & indigentiam; ideoque non erit mirum, quod efficiat ad creaturas; at amor divinus nullam supponit indigentiam, & hac ratione nequit esse affectivus, sed ex pura fecunditate, & communicabilitate terminatur ad eas. Ex quo oritur aliud notabile discrimen inter utranque amorem, quod ratio proxima ex parte creaturarum terminandi amorem charitatis divinæ nec est ratio finis, nec ratio mediij, sed similitudo participatiæ bonitatis divinæ, eiusque passiva diffusio seu communicatio per modum amati secundarij illati ex primario, & ex ipso amore. Cæterum ratio proxima terminandi amorem creatum ultra prædictam rationem est simul ratio finis secundarij, propter discrimen proximè traditum.

55 Inquires *secundò*: An amor notionalis, formaliter ut talis, sit propter finem tanquam propter rationem finalem? Diximus propter rationem finalem, propter dicta in hac secunda assertionem, ex quibus constat non habere causam finalem. ¶ Respondetur negative. Et colligitur ex Div. Thoma 1. part. quest. 19. artic. 8. vbi ait: *Persona divina, quarum Pater est principium, non procedunt, et ad finem, cum qua-*

qualibet illarum sit ultimum finis (quibus verbis excludit causam finalem) sed naturali professione, quæ magis ad rationem naturalis potentie pertinere videtur: his verbis excludit etiam rationem finalem. Ex quibus formatur ratio probativa: Nam amor, qui non procedit ex cognitione finis ponderante merita eius, sed ex fecunditate naturæ, non est proprie propter finem; sed amor notionalis, secundum id quod addit supra essentialem, est huiusmodi: ergo non est proprie propter finem. Minor probatur: nam prædictus amor solum addit connotare paternitatem, & filiationem, ratione cuius connotationis redditur ex natura sua fecundus: ergo secundum id, quod formalissime addit supra amorem essentialem, non poterit procedere ex cognitione finis ponderante merita eius.

§. IV.

Tertia assertio.

56 Dicendum est *ter id*, bruta non operari proprie propter finem. Hanc conclusionem docet D. Thomas in præf. art. 2. Et probatur eius ratione: nam illa, quæ non se movent, & dirigunt in finem in ratione finis, non operantur proprie & formaliter propter finem; sed bruta sunt huiusmodi: ergo non operantur proprie propter finem. Minor probatur: nam ea, quæ non cognoscunt finem in ratione finis, non possunt se movere in finem sub ratione finis; sed bruta non cognoscunt finem in ratione finis; ergo non se movent, & dirigunt in finem in ratione finis. Maior patet. Et minor probatur: nam finis, in quantum finis, dicit habitudinem & proportionem ad media, & ad actum, & e converso; sed bruta nequeunt habere rationes cognoscere: ergo non cognoscunt finem in ratione finis. Minor suadetur: nam ea solum possunt prædictas rationes cognoscere, quæ valent ordinare, & conferre finem cum medijs, & media cum finis; sed hoc est proprium intellectus, iuxta illud Philosoph. 1. Metaphys. in princip. *Ordinare est proprium sapientis, & intelligentis*: & iuxta illud D. Augustini lib. 83. *Questionum quest. 30. vbi inquit: Scire, quo quidquam referendum sit, non datum est rationis expertibus*: ergo. Videantur pro hac ratione nostri Complut. abbreviati de Anima disp. 4. n. 7.

57 Sed obijciunt: Nam bruta cognoscunt finem in ratione talis: ergo se movent, & dirigunt in finem in ratione finis. Antecedens probatur *primò*: nam cognoscunt bonum delectabile sub ratione boni; sed sub hac ratione habet rationem finis: ergo cognoscunt finem in ratione finis. ¶ *Secundò*: Nam cognoscunt, & appetunt plura per modum mediij & vtilis: ergo

etiam finem in ratione finis. Antecedens probatur: nam plura querunt ad educandam prolem, & ad salutem recuperandam, sed non appetunt ea sub ratione delectabilis, cum se habeant multoties, ut potio amara in nobis: ergo appetunt ea, ut vilia & media ad finem. Videatur D. Thomas 1. p. q. 78. art. 4.

Confirmatur *primò*: Nam bruta appetunt bonum delectabile propter se: ergo in ratione finis. Paret consequentia: quia finis in ratione talis diffinitur per hoc, quod sit appetibilis propter se. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam bonum delectabile aliquam causalitatem exercet erga appetitum brutorum; sed hoc non videtur esse alia, quam causalitas finis: ergo. ¶ Confirmatur *tertiò*: Nam inter appeti propter se, & appeti propter aliud nullum datur medium: ergo bonum delectabile, quod appetunt bruta, cum non appetatur propter aliud, sequitur, quod appetatur propter se; sed hoc est proprium finis in ratione talis: ergo.

Ad obiectionem respondetur, negando antecedens. Cuius nulla probatio aliquid iudicat. Non prima: nam formalissime loquendo ratio finis non est ratio boni; ideoque bruta possunt cognoscere rationem boni, & non rationem finis. Nec secunda: nam bruta omnia illa appetunt, ab que eo quod ordinem vnus ad aliud percipiunt; & hoc sufficit, ut non appetant ea proprie per modum vtilis. ¶ Ad primam confirmationem respondetur, negando antecedens, si ly propter proprie sumatur: quia hæc particula significat cognitionem ponderativam, & penetrativam meritum obiecti, quæ est intellectiva & nullatenus conveniens brutis. Ad secundam respondetur, causalitatem illam, si proprie loquamur, pertinere ad causam formalem extrinsecam. Licet reductivè pertineat etiam ad genus causæ finalis: eo quod obiectum movet appetitum alliciendo & attrahendo, quod est proprium causæ finalis. ¶ Ad tertiam, & ultimam respondetur, inter illa extrema non dari aliquod medium respectu appetitus rationalis præsupponentis cognitionem ponderantem merita obiecti, secus vero respectu appetitus, qui prædictam cognitionem non præsupponit, ut contingit in brutis, in quibus est diversus, & longe inferior modus operandi.

58 Sed quæres: An omnia agentia non rationalia operentur propter finem ut mota, & directa à Deo, & ab intelligentia creata motrice? ¶ Respondetur affirmative. Hæc responsio est iuxta mentem Philosophi. 4. de Generatione cap. 2. vbi ait: *Omnia, quæ natura, vel arte efficiuntur, ratione aliqua esse, & fieri*: & hinc habetur illud axioma: *Opus natura est opus intelligentiæ*. Est etiam iuxta doctrinam D. Thomæ in præf. art. 2. Et probatur ratione ipsius: Nam omnia prædicta agentia in omnibus suis operationibus attingit pro-

prios fines particulares; sed ipsa non se movent & dirigunt in prædictos fines: ergo diriguntur, & moventur à ratione, quæ est in eorum Authore, aut motore: ergo ut mota & directæ à Deo, & ab intelligentia motrice operantur propter finem. Maior, in qua tantum potest esse difficultas, suadetur: nam omnia prædicta agentia attingunt effectus determinatos; sed determinatio effectus provenit ex determinato fine: nam quod agens producat hunc effectum determinatum, & non alium, hoc habet ex inclinatione ad determinatum finem: ergo omnia prædicta agentia attingunt in omnibus suis operationibus suos fines particulares. Et illustratur exemplo, quo vitur D. Thom. 3. Contra gentes cap. 24. ubi ait: *Sic igitur non est difficile videre, qualiter naturalia corpora cognitione carentia moventur, & agant propter finem: tendunt enim in finem, sicut directæ in finem à substantia intelligente, per modum quo sagitta tendit in signum directæ à sagittante.*

Et hoc fulciri potest ex pluribus effectibus, qui casu, & fortuito evenire videntur, & ex alijs, quæ à natura præposterè & inordinate fiunt: non enim potest negari, quod prædicti effectus intenduntur per se à providentia divina, iuxta illud Sap. cap. 8. *Atingit à fine esse, que ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter:* ergo agentia creata operantur prædictos effectus, & à fortiori omnes alios propter finem ut mota, & directæ à substantia intelligente, & movente.

Maximè: quia omnia agentia dependent à Deo in esse, & operari: ergo cum omnis operatio attingat aliquem finem, necesse est, quod dependeat à Deo, prout attingunt prædictum finem; sed Deus, dum movet prædicta agentia ad suas operationes, & ad attingentiam prædicti finis, cognoscit certò prædictum finem: ergo movet ea ad tales operationes propter hunc finem: ergo operantur, ut mota & directæ à Deo.

DUBIUM IV,

An intermedia verè, & propriè exercent rationem finis?

59 **N**omine intermediorum ea intelligimus, quæ intercedunt inter appetitum, & ultimum finem. Et sunt in duplici differentia: nam alia habent per se primò sufficientem honestatem, & delectabilitatem, ratione cuius & possunt appeti propter se, & ratione illius fundant utilitatem ad alium finem magis ultimum, in quem possunt ab operante ordinari: ut si quis bonum humilitatis appetat propter bonam penitentiam, & hoc propter bonum religionis, & hoc rursus propter bonum obedientiam, Alia ultra bonitatem vltimam

nullam aliam habent bonitatem: ut si ad sanitatem acquirendam ordinetur extenuatio humorum, & ad extenuationem humorum purgatio, ad purgationem potio amara &c. In quolibet ex istis intermedijs duplex respectus reperitur: alius ad anteriora media, quæ ad illud ordinantur; & alter ad subsequenter finem, ad quem conducit. Quibus perspectis: certum omnino est, quod intermedia iuxta hunc posteriorem ordinem non exercent rationem finis: quia per illum constituntur in ratione mediorum. Difficultas tamen est, an ratione prioris respectus intermedia vtriusque generis verè, & propriè exercent rationem finis?

60 Pro quo notandum posse sumi dupliciter: vno modo largè, & impropiè, quatenus solum significat esse terminum. In qua acceptatione certum omnino debet esse, vnum intermedium esse finem alterius, quia ad hoc tantum desideratur, quod terminet ordinationem illius, & hoc pacto in serie virtutum bonum religionis terminat bonum humilitatis & bonum obedientiam bonum religionis, & in alia serie proxime recentia organa medicinæ ordinantur ad confectionem potionis; potio in purgationem, purgatio in attenuacionem humorum, attenuacio in salutem. Alio modo potest sumi finis in propria, & stricta acceptatione, quia supra præfatam ordinationem & terminationem addit, quod gratia illius aliquid fiat. Disputatio hæc procedit de fine secundum hanc posteriorem acceptationem.

Circa quam triplex est sententia, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema docet, intermedia vtriusque generis non habere propriè rationem finis. Pro qua referuntur Vazquez, Suarez, & alijque Recentiores. Secunda extrema asserit, intermedia vtriusque generis obtinere verè, & propriè rationem finis. Ita Gonet. in præsent. art. 5. & plures alij tam intra, quam extra scholam D. Thom. quos referunt, & sequuntur N. Salmant. in præsent. disput. 2. per totam. Tertia denique sententia media tenet, intermedia primi generis obtinere verè, & propriè rationem finis, secus verò intermedia secundi generis. Ita novissimè Carrasco, cum Ioanne à Sancto Thoma, Montesinos, Martinez, & alijs. Nos vero nostram mentem cum secunda sententia declaramus secantes in duas assertiones claritatis gratia.



Prior assertio.

Dicendum est primò, intermedia, quæ persè primò habent intrinsecam bonitatem, honestatem, & delectabilitatem exercere propriè rationem finis. Ita Authores relati pro secunda, & tertia sententia. Et probatur primò ex Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 7. ubi dividit finem *cuius gratia* in finem vltimum, & finem intermedium, seu non vltimum, in finem perfectissimum, & imperfectum: itaut perfectissimus, & vltimus non appetatur propter aliud, & huiusmodi est vltima felicitas, finis non vltimus, & imperfectus appetatur propter se, & propter vltimum, ut virtus, honor, voluptas, & alia huiusmodi. Sentit ergo, dari intermedia, quæ habent verè, & propriè rationem finis. Patet consequentia: nam de ratione finis propriè dicti est, quod appetatur propter se, & alia appetantur propter ipsum. Legatur de verbo ad verbum.

Tum ex Div. Thoma in præf. art. 3. ad 3. ubi ait: *Idem actus numero, secundum quod semel egreditur ab agente, non ordinatur nisi ad unum finem proximum, à quo habet speciem, sed potest ordinari ad posibles fines remotos, quorum unus sit finis alterius.* Ergo iuxta D. Thomam, quod vnus finis ordinetur ad alium, non obstat, ut verè & propriè exercent rationem finis respectu aliorum. Id aperitius tradit infra quest. 12. art. 2. ubi ait: *Est enim intentio non solum finis vltimi, sed etiam finis medij: sed actus intentionis rigorose, de qua loquitur Div. Thomas in prædicta quest. non terminatur ad medium ut medium, sed ad finem ut finem: ergo iuxta Div. Thom. intermedia verè, & propriè exercent rationem finis.*

62 Ex quibus testimonijs eruitur ratio à priori nostræ assertionis: Nam id verè, & propriè exercet rationem finis, quod per se, & ratione sui appetitur, & ratione illius, & propter ipsum aliquid appetitur; sed intermedia prædicta sunt huiusmodi: ergo verè & propriè exercent rationem finis. Minor quoad primam partem probatur: nam de ratione boni honesti, & delectabilis, prout vtrunque distinguitur ab vltimo, est, quod per se & ratione sui appetatur: sed secundo est in presenti de bonis, quæ habent per se primò intrinsecam bonitatem, & delectabilitatem: ergo prædicta intermedia appetantur per se & ratione sui. Quoad secundam facile conceditur ab Adversarijs.

Confirmatur hæc ratio, & simul præoccupatur communis evasio Adversariorum: Nam quod vnus finis appetatur propter alium, illique subordinetur, non tollit, quod appetatur per se

& ratione suis hoc præcipue locum habet in bonis, de quibus loquitur in hac assertionem: ergo habent verè, & propriè rationem finis. Maior probatur primò exemplo, & proportione, seu correspondentia cause efficientis: nam ita se habet finis proximus cum subordinatione ad remotum, sicut causa efficiens secunda respectu primæ: ex hoc enim principio probat D. Thomas in præf. art. 4. in finibus per se subordinationis non dari processum in infinitum, quia non datur inter causas efficientes inter se subordinatas: atqui causa efficiens secunda, est non operetur, nisi ut mota, & subordinata primæ, etiam operatur per se, & ratione sui: ergo quod finis proximus non moveat nisi cum subordinatione ad alium finem vltimum, non obstat ad hoc, ut terminet per se, & ratione sui motum voluntatis. Fulcitur hoc: quia attentis definitionibus cause efficientis, & cause finalis magis est de ratione efficientis, quod sit primum principium operationis, quam de ratione cause finalis, quod sit vltimus terminus: siquidem efficiens definitur per hoc quod sit: *Id, à quo primo incipit motus,* & in definitione finis nulla est particula, quæ exprimat esse vltimum; hoc non obstanti de efficienti secundo verificatur, quod sit verè, & propriè efficiens, & primum movens, quamvis operetur ut motum, & subordinatum primæ cause: ergo potiori titulo de fine intermedio verificari debet, quod est verè finis, est terminus ut subordinatus vltimo. Videatur omnino D. Thomas 2. Physic. lect. 5. & 1. 2. q. 12. art. 2. ad 2.

63 Secundo probatur eadem maior alio exemplo: nam ita se habet finis in operabilibus, sicut principium in speculativis, ut perpetuò docet D. Thomas & merito, nam finis est principium in prædictis; sed in speculativis datur principium intermedium, quod verè, & propriè habeat rationem principij, quamvis dependeat, & subordinetur alteri priori principio, ut aperte liquet in conclusionibus scientiæ subalternantis in ordine ad anteriora principia, & conclusiones scientiæ subalternatæ, & alijs innumeris: ergo rectè stat, quod aliquid sit finis respectu alicuius operationis, & medij anterioris, estò ordinetur ad alium finem vltiorem. Videatur etiam D. Thomas infra quest. 13. art. 3. ubi hanc probationem dilucide explicat.

64 Tertiò & vltimò probatur eadem maior exemplo virtutum moralium: siquidem obiectum virtutis moralis potest ordinari ad finem charitatis tanquam ad finem vltimum, & sanitas corporis ordinari potest ab operante ad salutem animæ, ut tradit D. Thomas loco proxime citato in corpore; sed hoc non tollit, quod exercent verè, & propriè rationem finis, sicut non tollit, quod obiectum virtutis sit bonum honestum, & non præcipue vtile, & salus corporis sit bonum delectabile, & non præcipue vtile, estò

utranque bonum ordinetur ad viteriorem finem: ergo si vnum obiectum habet in se sufficienter honestatem, & delectabilitatem, est subordinatur alteri posteriori, potest habere verè, & proprie rationem finis.

Roboratur hoc: Nam haud potest negari, quòd actus poenitentia (v. g.) ex eo quòd formaliter ordinetur ex intentione operantis ad finem charitatis, est formaliter, & verè actus illius virtutis: ergo habet bonitatem pertinentem non solum ad virtutem charitatis, sed etiam ad virtutem poenitentia. Iam sic: sed hoc nequit stare, quin obiectum poenitentia sit finis verè, & proprie respectu actus poenitentia: ergo Minor subsumpta probatur: Nam de ratione virtutis, vt talis, est, quòd habeat pro obiecto bonum honestum, & non tantum viles sed bonum honestum, vt tale & vt distinctum ab vtili, est finis, sicut vtile, vt tale, est medium: ergo.

§. II.

Argumenta opposita sententia.

65 **A**rguitur primo: Nam id, cui non competit definitio finis proprie dicti, non exercet verè & proprie rationem finis; sed nulli intermedio vt tali conuenit definitio finis proprie dicti: ergo non exercet verè, & proprie rationem finis. Minor probatur: nam finis definitur ab Arist. 1. Physic. cap. 3. tex. 29. esse id, cuius gratia cetera fiunt, id est, omnia propter ipsum; sed hac definitio nequit intermedium conuenire, sed tantum fini vltimo: ergo. Nec refert, si dicas illam particulam cetera non esse Arist. sed additam fuisse ab Argyropolo. Non, inquam, refert: Nam lib. 1. Ethic. cap. 7. expresse ponit predictam particulam: siquidem explicans naturam boni ait, cuius gratia cetera fiunt: & intelligi debet de bono, quòd coincidit cum fine.

Augetur difficultas: Nam 2. Metaphysic. cap. 2. & D. Thomas in praef. art. 4. ex eo probant, in finibus non dari processum in inhiatum, quia de ratione finis est id, quòd non est alterius gratia, sed cuius causa cetera: sed hac ratio non sibi haberet, si darentur intermedia, quæ proprie essent fines: siquidem estò non daretur finis vltimus, adhuc agens posset agere propter aliquem finem intermedium: ergo.

Ad argumentum respondetur tripliciter. Primo sustinendo solutionem datam inter arguendum, quam desumpsimus ex plurimis, & gravibus viris. Secundo, quòd adhuc admittit illa particula vt Aristotelis, debet intelligi per distributionem accomodam, itaut ad finem omnino, & absolute vltimum omnia ordinentur, & ad finem intermedium omnia, seu cetera, quæ ipsum antecedunt: non tamen illa particula cetera debet exponi, de omnibus absolute, vt

vult Vazquez. Tertio & vltimo, quòd Arist. loquitur de fine absolute vltimo: de quo loquitur Philosophum in loco relato verum ille est: siquidem agit ibi de vltima felicitate. Per quæ coniat fati ad replicam.

Ad augmentum difficultatis responderetur iuxta tertiam solutionem proximè traditam, nempe, Aristotelem ibi agere de fine absolute vltimo, vt per se patet. Sed in eo ipso quòd assumit, videtur supponere, dari fines intermedios, cum in causis finalibus concedat subordinatiorem in ordine ad vnum finem vltimum, vt non datur processus in infinitum: sicut in causis efficientibus, vt tollatur processus in infinitum, omnino concedi debent plures cause efficientes, quæ sint verè tales, & dependant ab alio efficiente, quòd sit absolute primum, & non dependeat ab alio efficiente. Neque argumentum Aristotelicum desinit esse efficax ex eo, quòd admittantur predicti fines intermedij: Nam isti fines, vel moverent cum subordinatiore ad a ium vltimum, vel non? Si dicatur hoc secundum iam sunt fines vltimi. Si dicatur primum iam non moverent nisi dependenter à motione finis vltimi, quo sublato non maneret finis intermedius.

66 **A**rguitur secundò, & principalis: Nam intermedium appetitur propter aliud: ergo non habet verè & proprie rationem finis. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: nam de ratione finis est, quòd appetatur propter se; sed implicat, quòd intermedium appetatur propter se, & propter aliud: ergo si appetatur propter aliud, non habet verè, & proprie rationem finis. Minor probatur: nam appeti propter se, & propter aliud opponuntur, sicut esse à se, & esse ab alio, & sicut absolutum, & respectivum; sed repugnat eandem rem esse à se, & esse ab alio, & esse absolutam, & respectivam: ergo implicat etiam, quòd intermedium aliquod appetatur propter se, & propter aliud.

Et confirmatur: Nam si eadem res posset appeti simul propter se, & propter aliud, posset per eundem actum appeti vt bonum delectabile, aut honestum, & vt bonum vtile, idemque actus posset habere respectu eiusdem rei & speciem intentionis, & speciem electionis; sed hoc repugnat: ergo etiam repugnat esse propter se, & propter aliud: ergo repugnat simul appeti propter se, & propter aliud. Maior patet. Et minor probatur: Tum, quia idemmet actus nequit pertinere ad diversas species: nam quæ specie distinguuntur, etiam distinguuntur realiter; sed intentio, & electio pertinent ad diversas species: ergo idem actus nequit exercere & munus intentionis, & munus electionis. Tum etiam: nam appetibilitates formaliter diversæ & inter se oppositæ constituunt obiecta formaliter distincta; sed obiecta formaliter distincta petunt terminare actiones realiter diversas: ergo idem, quòd prius

Adde.

Adde: quia licet voluntas possit eodem actu terminari ad finem, & medium, quando vnum attingit in alio, aut quando vnum attingit in recto, & aliud in obliquo; repugnat tamen, quòd eodem actu attingat in recto, & per se finis id, quòd habet rationem finis, & id, quòd habet rationem medij, vt aperte docet D. Thomas infra quest. 13. art. 3. ergo etiam repugnat, quòd eadem res eodem actu appetatur propter se, & propter aliud. ¶ Adde secundò: Nam si eadem res appeteretur propter se, & propter aliud, iam ipsa res, prout appetitur propter aliud, subordinaretur ad seipsam, prout appetitur propter se; hoc manifestè repugnat aliæque distinctione reali: ergo nec eadem res potest esse proprie finis, & medium respectu eiusdem actionis, nec eadem actio potest esse simul intentio, & electio respectu illius.

67 **A**d argumentum responderetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad cuius probationem dicendum, quòd dam aliquid habet duplicem respectum, alium ad res, quæ ad ipsum ordinantur, & alterum ad id, ad quòd ipsum ordinatur, nullam contradictionem importat in eo, quòd secundum diversos respectus appetatur propter se, & propter aliud, & ita contingit in intermedijs, de quibus nobis est sermo in presenti. Et potest parificari tribus exemplis adductis §. precedenti causa efficientis, principij intermedij, & obiecti virtutis moralis. ¶ Ad primam tamen paritatem dicimus, quòd Deus, qui est ens à se, secundum omnem sui rationem est Deus, ideoque non potest non dicere adæquate exclusionem essendi ab alio. Similiter creatura secundum omnem sui rationem est creatura, & ob hanc causam dicit adæquate exclusionem essendi à se. In intermedijs, adhuc in sententia contraria, admittitur duplex ille respectus proximè relatus, ratione cuius optime potest eadem res appeti propter se, & appeti propter aliud. ¶ Ad secundam paritatem dicimus, non repugnare in eadem res respectiva transcendentaliter inveniiri duplicem formalitatem, & ratione vnius esse absolutam, & ratione alterius esse respectivam: & hoc necessariò fatendum est in quacunque re creata, estò absoluta, quia nulla est, quæ ordinem sui rem transcendentaliter non dicat ad causam primam, à qua in suo esse dependet.

Ad confirmationem responderetur, concedendo sequelam mai. quoad vtranque partem; & negando minorem. Et ad primam probatiorem dicendum est, nullum esse inconueniens in eo, quòd eadem res pertineat ad duas species, dummodo vna competat ei essentialiter, & altera reductivè, seu accidentaliter: & N. Complut. abbrev. in sua Logica disp. 15. num. 13. moti hac doctrina docent, eundem numero calorem pertinere ad primam speciem qualitatis, quæ est dispositio, & ad tertiam, quæ est passio.

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

bilis qualitas. Ita ergo non inconuenit concedere, quòd idem actus voluntatis terminatus ad intermedia habeat abique distinctione reali speciem electionis, & intentionis, quia vna conuenit ei essentialiter, & alia accidentaliter. Nec difficile apparet assignare, quæ ex his speciebus sit, essentialis, & quæ accidentalis: nam si honestas, aut delectabilitas intermedij fundat utilitatem, vt contingit in intermedijs, de quibus procedit prima assertio, actus essentialiter est intentio, & accidentaliter electio: si verò utilitas fundat delectabilitatem, & honestatem, vt accidit intermedijs, de quibus sermo erit in secunda assertione, actus essentialiter est electio, & accidentaliter intentio. Videantur pro his ea quæ dicimus infra tract. 1. o. n. 2. 1. & n. 2. 2. & 3.

Per quòd patet ad secundam probationem: siquidem obiecta formaliter diversa tunc diversificant realiter actiones, quando in ratione obiectorum se habent omnino disparate: si verò habent inter se connexionem, & vt illam habent, attinguntur, non repugnat attingi vno & simplici actu. Et ita contingit in presenti.

68 **A**d primum additamentum responderetur, sensum D. Thomæ solum esse, quòd medium, & finis non possunt attingi vno & eodem actu, si sunt realiter distincta, nisi attingantur medijs præscriptis à D. Thomæ: sed quando in eodem intermedio inveniuntur ratio medij, & ratio finis, optime potest secundum vtranque rationem attingi eodem indivisibili actu. Nec oppositum huius doctrinae alicubi insinuat Div. Thomas, sed potius eam expresse docet in præf. art. 3. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd idem actus numero, secundum quòd semel egreditur ab agente, non ordinatur nisi ad vnum finem proximum, à quo habet speciem. Sed potest ordinari ad plures fines remotos, quorum vnus sit finis alterius.* Idem docet pluribus alijs in locis, quæ infra tract. de Bonitate, & malitia referemus. ¶ Ad secundum additamentum responderetur, quòd si appeti propter se, & appeti propter aliud non reperiantur in rebus realiter distinctis, non est necesse, quòd id, quòd appetitur propter aliud, subordinatiorem realem dicat ad id, quòd appetitur propter se, quia hæc realem distinctionem præsupponit; sed sufficit quòd vna & eadem res dicat duas rationes virtualiter distinctas, & inter se connexas:

§. III.

Posterior assertio.

69 **D**icendum est secundò, intermedia, quæ per se primò non important aliquam honestatem, aut delectabilitatem, sed præcisè utilitatem, etiam habere rationem finis in stricta acceptione. Ita Auctores secundæ sententia contra Doctores primæ, & tertie. Et probatur primò auctoritate Arist. 5. Metaphysic.

Re cap.

cap. 2. ubi ait: *Amplius est finis, hoc autem est, quod est cuius causa, et ambulandi sanitas: nam quare ambulavit? Dicimus, et sanatur: & dicentes ita, putamus reddidisse causam: quæcumque movente alio sunt infra finem, et attenuatio humorum, aut purgatio, aut pharmacia, aut organa &c.* Quæ verba exponens Div. Thomas, postquam cum Arist. dixit, sanitatem esse vere causam finalem de ambulationis, sic prosequitur: *Non solum autem ultimum, propter quod efficiens operatur, dicitur finis præcedentium, sed etiam omnia intermedia, quæ sunt inter primum agens, & ultimum finem, dicuntur finis respectu præcedentium. Sicut intra medicinam, quæ est primum agens in hoc ordine, & sanitatem, quæ est ultimum finis, sunt ista media, scilicet attenuatio, quæ est propinquissima sanitati in his, quæ superabundant in humoribus, & purgatio, per quam acquiritur attenuatio, & pharmacia, scilicet, medicina laxativa, & instrumenta, quibus pharmacia preparatur. Huiusmodi etiam omnia sunt propter finem, & tamen unus eorum est finis alterius: nam attenuatio est finis purgationis, & purgatio pharmaciae.*

In quibus verbis tria notabis: Primum, quod finis hic accipitur in nominativo casu: per quod præoccupatur singularis expositio Vaz. qui adhibita atque testimonio Arist. simili huic in 2. Physic. cap. 3. Secundum, quod ista intermedia vocat *fines* absolute & absque vlla partícula diminutive: per quod denotatur, quod sunt fines in stricta acceptione, & non tantum secundum quid, ut exponunt aliqui ex Adversariis, eo quod in alijs autoritatibus D. Thomæ habetur particula *quodammodo*. Tertium, quod prædicta testimonia non possunt exponi de fine extrinseco, ut volent alij: siquidem scopus in his testimonijs est describere veram causam finalem, prout distinctam ab alijs causis, & medijs; & certum est, media esse fines extrinsecos, quia movent in virtute eius, quod verè exerceat rationem finis. Maneat ergo, quod secundum verumque Magistrum intermedia, de quibus procedit assertio, obtinent rationem finis, accepto sine in propria acceptione.

70 Ex quibus testimonijs deducitur ratio probativa huius conclusionis: Nam illud verè & propriè habet rationem finis, cuius gratia aliquid fit; sed intermedia, de quibus loquimur, sunt huiusmodi: ergo verè & propriè exercent rationem finis. Maior supponitur ex testimonijs proxime relatis Arist. & Div. Thomæ: nam ille definiens finem ait, esse id, quod cuius causa, et ambulandi sanitas. Ille ait: *Quarto modo dicitur causa finis: hoc autem est, cuius causa aliquid fit: sicut sanitas est causa ambulandi.* Minor verò probatur: Nam id, ad quod aliquid ordinatur, est id, cuius gratia aliquid fit; sed

primum medium ordinatur ad primum intermedium, & hoc ad secundum, & sic de alijs, v. gr. collectio herbarum ordinatur ad constitutionem potionem, portio ad purgationem, purgatio ad extenuationem humorum, & hæc ad sanitatem: ergo intermedia sunt id, cuius gratia aliquid fit.

Confirmatur hæc ratio: Nam id est verè & propriè finis, per quod respondetur ad interrogationem propter quid: Hac quippe de causa sanitas est causa finalis deambulationis, quia interrogatus, *Propter quid infirmus deambulet?* Respondemus, *Ut sanetur: Et ita respondentes* (inquit Philof.) *putamus reddidisse causam; sed querenti, Propter quid est collectio herbarum, rectè respondetur, Propter potionis constitutionem &c.* ergo intermedium verè habet rationem finis respectu medijs anterioris.

71 Rationi respondent principaliter Adversarij (relictis alijs evasionibus minoris momenti) concedendo, vnum medium ordinari ad aliud: quia hoc, ut aiunt, videtur indubitabile. Sed hoc non sufficit ad veram, & propriam rationem finis, sed vterius requiritur, quod res gratia sui appetatur; & hoc verificari nequit in his intermedijs. Et sane, si argumentum esset efficax, probaret etiam, quod in sunt media, etiam habent rationem finis, quod videtur chimericum. Ad confirmationem respondent, quod in rigore ly propter interrogat de causa finali. Inde medicus interrogatus, propter quid præparat medicinam, in rigore philosophico vnicè debet respondere, *ut sanetur infirmus sumendo illam, & media illa attenuando humores.*

Imprimis solutio adhibita confirmationi non coheret cum solutione adhibita rationi: Nam non stat, quod primum medium (v. gr.) ordinatur ad intermedium, & quod interrogatus medicus, propter quid colligat herbas, rectè respondeat, quod vnicè est propter sanitatem: quia hinc sequeretur, vnicè ordinari ad sanitatem, & non ad potionem, quia vnuquodque est propter id, ad quod ordinatur: ergo implicationem apertam includit, quod primum medium ordinatur ad intermedium, & quod non fit propter illud. Deinde refellitur, *Primo*: Nam iuxta prædictam solutionem de intermedio iam verificatur ratio adæquata finis strictè dicti, nempe, quod propter illud aliquid fiat, ut contat ex proximè dictis; sed eo ipso, quod intermedium fit id, propter quod aliquid fit, etiam verificatur, esse id, quod appetitur gratia sui, iuxta illud axioma, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*: ergo gratia suæ appetitur. *Maximè*: Quia id, cui competit proprietatis rei, etiam competit essentia; sed proprietatis finis est, quod aliquid appetatur propter ipsum, & eius essentia est, quod appetatur

gra

gratia sui: siquidem prius est in fine, quod appetatur ratione sui: ex quo ortum ducit, quod alia appetantur propter ipsum: ergo qui concedit (ut concedunt Adversarij iuxta solutionem datam) intermedium esse id, propter quod aliquid fit, etiam concedere tenetur appeti propter se, seu gratia sui.

72 Refellitur secundò, prænotando duo. Primum est, quod talis est ordo finium, qualis est ordo agentium propter mutua correspondentiam causæ efficientis, & finalis. Unde sicut in agentibus datur triplex gradus, scilicet agens primum, quod à nullo dependet, & agens secundum principale, quod solum dependet à primo, & agens instrumentale, quod non solum dependet à primo, sed etiam ab alio agente particulari, cuius est instrumentum; in quibus omnibus reperitur ratio propria causæ efficientis: Ita similiter in finibus alius triplex gradus debet distingui, videlicet finis omnino ultimus; qui nulli subordinatur, sicut est Deus respectu iusti; & finis particularis principalis, qui solum subordinatur fini absolute ultimo, ut sanitas; & finis intermedius, qui non movet, nisi subordinatus ad alium finem particularem, in quo debet reperiri ratio propria finis, sicut in instrumento datur propria ratio causæ efficientis; & huiusmodi sunt intermedia, de quibus loquimur.

Secundum est, quod sicut causa principalis creata multoties indiget instrumento, eo quod non continet totum effectum secundum omnes suas rationes, ideoque in instrumento datur vera ratio causæ efficientis, aliquaque virtus propria, ratione cuius agit principaliter aliquid effectum proprium, & in virtute propria, quamvis non nisi ut motum à causa principali, ut rectè docent N. Complur. abbrev. in sua Phys. disp. 12. dub. 2. ita discursus de causis finalibus, inter quas datur aliquis finis remotus, qui non potest movere, nisi adiuvetur per aliqua intermedia, in quibus residere etiam debet propria aliqua virtus finalizandi, quamvis non terminent, nisi prout subordinata fini remoto.

Hinc ergo refellitur prædicta solutio: Nam sicut instrumentum non agit nisi ut motum à causa principali, ita intermedium non terminatur nisi ut subordinatum fini remoto; hoc non obstat in instrumento datur aliqua propria virtus, ratione cuius constituitur non solum in ratione verè causæ efficientis, sed etiam in ratione causæ principalis: ergo etiam intermedium debet habere aliquam bonitatem, ratione cuius fit verè & propriè finis.

Neque ex hoc sequitur, intermedium verè medium exercere rationem finis, ut respondens deducebat: Nam intermedium importat duplicem respectum, alium ad finem remotum, alterum ad priora media. Ut exerceat rationem

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

finis, prout est medium, oportebat, quod esset finis, prout respicit finem remotum; sed non est ita, quia solum est finis, prout terminat priora media.

73 Ex his patet via ad aliam rationem ex se satis efficacem: Nam primum medium (v. g.) dependet à primo intermedio in genere causæ finalis: ergo hoc est propriè finis respectu illius. Antecedens probatur: Tum, quia dependet ab illo in aliquo genere causæ; sed aliud est insignificabile præter genus causæ finalis, ut recedenti omnia genera causarum parebit: ergo. Tum etiam: nam in illa serie in qua est primum medium & plura intermedia, quorum vnum ad aliud subordinatur, respectu primi medijs debet assignari aliquis finis proximus, qui immediate terminet & specificet eius utilitatem; sed in ordine ad sanitatem, & sanitas ipsa non est finis proximus collectionis herbarum, siquidem hoc medium ut *ratio* nec instruit, nec subordinatur immediate ad sanitatem: ergo primum medium dependet à primo intermedio tanquam à vero fine.

Argumenta contra hanc posteriorem assertionem.

74 **A**rguitur primò ex Arist. qui lib. 1. Magn. moral. cap. 2. ait: *Bonorum alia sunt fines, alia non: quemadmodum sanitas quidem finis, atque sanitatis causa, id est, medicina; nequequam finis esse.* Et confirmatur ex eodem Philof. qui lib. 8. Ethic. cap. 1. dividens bonum in honestum, delectabile, & utile, ait, honestum, & delectabile esse amabilia ut fines, non vero utile.

Hoc idem suadetur ex D. Thoma 1. Ethic. lect. 9. ubi ait: *Est enim aliquid, quod appetitur, non propter aliquam bonitatem in eo existentem, sed solum in quantum est utile ad aliud, sicut medicina: sentit ergo, quod solum habet rationem medijs.*

Pro solutione huius, & aliorum argumentorum: Notandum est primò, dunt asserimus intermedia esse verè, & propriè fines; non esse sensum, quod sine fines perfecti, sed potius valde imperfecti, & in genere finis quid diminutum: Utrumque docuit Div. Thomas ex Arist. 1. Ethic. cap. 7. lectione 9. ubi exponens illa verba Philosophi: *Per se ipsum est, non omnes fines esse perfectos*, sic ait: *Videntur autem esse plures gradus finium, quorum quosdam eligimus propter aliorum, sicut fistulas, quibus cantur, & universales omnia organa, quæ non quaruntur nisi propter se ipsum earum: unde manifestum est, quod omnes isti fines sunt imperfecti.* Hocque explicat exemplo triplicis gradus causæ effici-

Rt 2

cien.

cientis supra assignati, à quo debet desumi similitudo ad alium triplicem gradum causæ finalis: nam sicut agens primum est perfectissimum, quia à nullo dependet; & agens secundum principale, quod, esse non habeat omnimodam perfectionem, eò quòd dependet à primo, est tamen absolute perfectum, quia non subordinatur alteri agenti particulari; & tandem agens instrumentale, quod esse sit vere & proprie causa efficiens, est tamen imperfectissimum, & diminutum; quia non solum dependet à primo agente, sed etiam ab alio agente creato particulari; similiter de triplici illo gradu finium discurrendum est, ita ut præter finem omnino ultimum, qui est perfectissimus, quia non appetitur propter aliud, & præter finem ultimum in aliqua serie, qui est perfectus, quia esse sit propter absolute ultimum, non tamen est propter aliam finem particularem in illa serie assignari debet alius finis, qui esse sit imperfectus, & quid diminutum, eò quòd est non solum propter ultimum finem, sed etiam propter alios fines particulares, obtinet tamen veram, & propriam rationem finis.

75 Notandum est secundò, quòd licet intermedia, de quibus in hac assertionem loquimur, non habeant persè primo aliquam delectabilitatem, aut honestatem, sicut illam habent intermedia, de quibus fuit sermo in assertionem præcedenti, reverà habent aliquam honestatem, aut delectabilitatem ortam ex suis ipsius utilitate. Et quia, hæc semel supposita, nulla potest esse illis inter nos, & Adversarios, sicut nullam potest esse dissidium, si omne genus delectabilitatis, aut honestatis his intermedijs negetur: cum omnes debeant (& merito) supponere, nullam rem ratione solius utilitatis exercere rationem finis; oportet illam ostendere tum auctoritate, tum ratione. Auctoritate: nam Arist. 2. Ethic. cap. 3. postquam dixit, quòd tria sunt, ab quibus quispiam appetit, honestum, utile, & iucundum, ita ait: *Malum autem peccat, & maxime circa voluptatem: hæc enim omnia, quæ in appetitionem cadunt, comitantur. Quippe cum honestum, & utile videatur esse iucundum.* Quæ verba exponens D. Thom. lect. 3. inquit: *Malus autem homo peccat, & precipue circa delectationem, quæ est communiter inter prædicta.* Consequitur ad omnia, quæ cadunt sub electione: *honestum enim est delectabile homini, secundum quòd est conveniens rationi; utile autem est delectabile propter spem finis.* En quomodo utile, quia utili attribuit aliquam delectabilitatem. Idem docet 2. 2. q. 145. art. 4. in corp. ubi ita concludit: *In pluribus tamen est delectabile, quam utile, & honestum: quia omne utile & honestum est aliquatenus delectabile.* Ostenditur etiam ratione desumpta ex primo testimonio D. Thomæ: Nam id, quòd præstat spem ad assequendum finem, qui per se primò est de-

lectabilis, ex hoc ipso habet in se aliquid genus delectabilitatis; sed nullum est intermedium, quòd non præstat spem ad assequendum finem: ergo in se habet aliquam delectabilitatem.

76 Et ut omnem equivocationem inter nos, & Adversarios procul pellamus: Notandum est tertio, quòd consequenter ad doctrinam in notabili præcedenti prædictam duplex genus delectabilitatis in rebus distinguendum est. Alia enim est perfecta, quæ per se primò convenit rebus, cum qua solet coniungi per accidens & de materiali aliqua utilitas: dicitur tamen perfecta: quia seclusa utilitate adhuc remanent res delectabiles; & huiusmodi sunt intermedia, de quibus loquuti sumus in priori assertionem. Altera est imperfecta, quæ ortum ducit ex utilitate, ita ut nec utilitas valeat movere sine prædicta delectabilitate, nec delectabilitas sine prædicta utilitate; & hæc est, quæ stabilitur à nobis cum Aristotele, & D. Thomæ in omni genere intermediorum, & consequenter afferimus cum illis, hanc sufficere ad veram, & propriam rationem finis, quamvis hæc ratio finis sit in ratione talis imperfectissima. Adversarij verò, quia nullum genus delectabilitatis admittunt in intermedijs secundi generis, merito negant eis veram rationem finis. Sed quilibet recolens duo præcedentia notabilia recognoscat maiorem probabilitatem nostræ sententiæ. His prænotatis.

Respondetur ad argumentum, Aristotelem ibi loqui de fine perfecto, ut liquet ex exemplo sanitatis, quòd adducit. Vel potest dici, quòd loquitur de intermedijs, prout media sunt, quo pacto solum exprimit utilitatem respectu finis subsequenti, sed ultra hanc importat rationem altius delectabilitatis in ordine ad priora media, & appetitum; & ratione huius constituuntur in ratione finis saltem imperfecti. Per quòd constat ad confirmationem.

Ad testimonium D. Thomæ respondetur, satis constare ex dictis dub. 2. omnia media habere aliquam bonitatem intrinsecam. Unde sicut ex vi huius testimonij non intendunt Adversarij probare intermedia hæc esse destituta ab omni bonitate intrinseca; neque ex illo potest ostendi vnicè appeti propter aliud; siquidem in ipsa utilitate, & bonitate intrinseca imbibitur aliqua delectabilitas saltem imperfecta sufficiens ad veram rationem finis.

77 Dices, ex his sequi intermedia ista prius exercere rationem medij, quam rationem finis: siquidem prius appetitur utilitas in eis reperia, quam delectabilitas, sicut hæc magis dependet ab illa, quam e converso; sed hoc est falsum: ergo solum exercet rationem medij. Minor probatur: nam prius est, quòd medium ordinetur ad primum intermedium, quam quòd hoc ordinetur ad aliud intermedium posterius; sicut prius est, quòd potio amara conficiatur propter extenuationem humorum, quam

qua extenuatio fiat gratia sanitatis: ergo.

Respondetur, intermedium posse considerari dupliciter; vel secundum se, vel in executione. Si primo modo accipiatur, dicendum est, prius appeti per modum medij, aut utilis ad finem remotum, quam apparere propter se, & alia anteriora media appetantur propter ipsum. Sed si secundo modo sumatur, prius terminat medium anterior per modum finis, quam influat effective in finem subsequentem per modum medij: Sed quia ratio finis, & ratio medij desumitur persè primò ex modo movendi & attrahendi voluntatem, & medium ex duplici capite movet voluntatem, videlicet ratione, utilitatis, & ratione delectabilitatis, debet dici, quòd ratio medij est prior, quam ratio finis: quia cum ratio utilitatis sit prior & fundamentum delectabilitatis, persè primò movet ut utile, & ut delectabile non nisi secundario.

78 Arguitur secundò (& erit replica contra dicta) Nam ex illis sequitur, primum medium habere etiam rationem finis; hoc est contra communem Philosophorum sententiam: ergo intermedia non exercent rationem finis. Sequela probatur: nam ex nostra doctrina sequitur, quòd primum medium ratione utilitatis funder aliquam delectabilitatem: ergo ratione illius habebit rationem finis; quia iuxta nos nihil aliud desideratur ad veram rationem finis.

Respondetur admittendo in primo medio aliquam delectabilitatem ad utilitatem consequentem; sed non propterea concedi debet, quòd in illa serie, in qua est primum medium, exercent veram rationem finis, quia nullum est medium, quòd propter ipsum appetatur, quòd necessario requiritur ad veram rationem finis. Et si istes, quòd si importat delectabilitatem, potest appeti propter se, & gratia sui, in quo consistit ratio primaria finis, & appeti aliquid propter illum est ratio secundaria. Respondetur, quòd eo ipso, quòd alicui denegetur proprietates rei, eo ipso naturaliter loquendo non convenit ei essentia illius: ideoque si ad primum medium nullum aliud ordinatur, sicut est, quòd nec ipsum appetitur propter se, sed præcisè per modum utilis: quia non curatur de delectabilitate, nisi quando est aliquid medium ordinatum per se ad illud.

79 Ultimo arguitur: Nam ex nostra sententia sequitur, omnem actum electionis esse intentionem, licet non e converso; hoc non videtur admitti posse: ergo falsum est, omnia intermedia habere propriè rationem finis. Sequela probatur: nam actus immediate terminatus ad medium sub ratione medij est electio, & actus immediate terminatus ad finem sub ratione finis est intentio; sed idem actus immediate terminatus ad intermedium immediate attingit & rationem finis, & rationem medij; siquidem immediate attingit & rationem utilis, & ratio-

nem delectabilis: ergo est intentio, & electio.

Respondetur imprimis, satis constare ex dictis num. 67. nullum esse inconveniens in eo, quòd idem numero actus sit electio, & intentio modo ibi explicato. Deinde falsum est, quòd, adhuc stando in nostra sententia, omnis electio sit intentio: siquidem actus terminatus ad primum medium est electio, & non est intentio, sicut actus terminatus ad ultimum finem est intentio, & non est electio. ¶ Adde, non esse omnino necessarium, quòd intermedia attingantur sub ratione delectabilis, quamvis illam importent, sicut de primo medio proxime dictum est, ideoque licet regulariter loquendo omnis actus terminatus ad intermedia sit simul electio, & intentio; potest tamen esse electio, quin sit intentio, quamvis non possit esse intentio, quin sit electio: quia in his intermedijs utilitas non dependet à delectabilitate, delectabilitas verò dependet ab utilitate. Sicut in intermedijs primi generis utilitas dependet ab honestate, aut delectabilitate: & non e converso; & propter hoc actus terminatus ad ea est semper intentio, sed non petit esse electionem.

DUBIUM V.

Utrum idem homo pro eodem tempore possit habere duos fines ultimos, totales, & adequatos?

80 SUPponimus cum D. Thomæ in præf. art. 4. in finibus per se subordinatis non posse dari processum in infinitum, sed necessario deveniendum esse ad unum finem ultimum determinatum, propter quem ceteri fines appetantur. Ratio Angelici Doctoris est demonstrativa: nam si daretur processus in infinitum, nunquam finis inciperet movere ad agendum, cum finis proximus movere non valeat, nisi primus moveatur, sicut nec causa secunda potest agere, nisi moveatur à prima; & ubi primus non est, nec secundus potest movere: ergo vel homo non ageret propter finem, vel non deberet dari processus in infinitum. Supposito ergo, quòd necessario deveniendum est ad aliquem finem ultimum, inquirimus cum D. Thomæ art. 5. huius quæst. an talis finis necessario sit unus; vel an possent esse plures simul? Ante cuius resolutionem pro facili huius dubij intelligentia, & sensu, in quo procedit, aliqua notanda sunt.

* * *



§. I.

Nonnulla prenotabilia.

81 **N**Ota primò, finem ultimum esse in duplici differentia; alium absolute & simpliciter talem; & alterum secundum quid. Hic posterior ille est, qui solam intra determinatam seriem ad alium non ordinatur, sed potius ipse ad alium, qui est extra talem seriem, ordinatur. Ita se habet sanitas respectu medicina: ad hanc enim omnia, quæ sunt in hac serie ordinantur ipsa verò sanitas ad nullum alium ordinatur: absolute tamen & extra hanc seriem potest ordinari ad virtutem, ab eo qui curam habet de salute animæ, ut loquitur D. Thomas infra quæst. 13. art. 3. Prior est ille, qui absolute ad nullum alium ordinatur, quin potius omnia absolute ordinatur ad ipsum; ut Deus respectu iusti, qui se, & omnia sua refert in illum.

Hanc descriptionem finis ultimi desumpsimus ex Philof. 2. Metaphysic. cap. 2. ubi ait: *Ipsum cuius causa finis: tale autem est, quod non est alterius gratia, sed cuius causa cætera.* Et non solum ex Philof. sed etiam ex magno Parente Augustino lib. 19. de Civitate Dei cap. 1. ubi inquit: *Illud est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cætera: ipsum autem propter se ipsum.* Quæ descriptio, si, ut verba sonant, sumatur, absolute soli fini absolute ultimo potest convenire. Ex quæ definitione liquidò constat, finem absolute ultimum necessario importare duas conditiones, nempe, quòd appetatur præcisè propter se, itaut non appetatur propter aliud; & quòd omnia aliquomodo appetantur propter ipsum, itaut quolibet deficiente deficiat propria ratio finis ultimi.

82 Hinc sequitur, debere omnino rejici finem absolute ultimum negativè, qui (ut plures cum Vazquez autumant) non ordinatur ad alium finem, quamvis non omnia ordinentur ad ipsum. Hoc (inquam) genus finis rejicitur, et merito: nam finis, qui ab his Authoribus dicitur absolute ultimus negativè, vel appetitur tanquam bonum perfectum & adequatum appetentis, vel tanquam bonum imperfectum, & inadæquatum? Inter hæc enim non datur medium. Si dicatur primum: ergo voluntas plene satiatur per illum, cum quilibet appetitus omnino satiatur a suo bono adæquato, & perfecto: ergo nihil appetit extra ipsum, alias non plene satiaretur per illum: ergo nihil appetit, nisi cum aliqua subordinatione ad ipsum. Hæc ultima consequentia legitime deducit ex proximè

precedenti: quia hæc non rectè coheret, & quòd aliquid appetatur intra aliquam seriem, & non vt finis ultimus, & quòd non ordinetur aliquomodo ad ipsum. Si dicatur secundum: ergo appetitus non quiescit in illo: ergo neque appetitur præcisè propter seergo neque tanquam finis ultimus negativè, sed propter bonum perfectum & consummatum, aut tanquam medium, aut tanquam pars illius. Maximè, quia iuxta hos Authores voluntas debet habere in omni statu aliquem finem, qui sit ultimus positivè; sed de ratione huius finis est, quòd omnia aliquomodo ordinetur ad ipsum, vt liquet ex precedenti ratione: ergo chimæricus est finis, qui sit absolute ultimus negativè.

Nec refert, si dicant, satis esse ad rationem finis absolute ultimi positivè, quòd omnia, quæ ad eam conducunt, ordinetur ad ipsum, non vero requiritur, quòd omnia absolute appetantur propter ipsum: Vt liquet in iusto, dum peccat aversaliter, & in peccatore dum elicit plures actus bonos moraliter, maxime actum scilicet Theologicæ. Non (inquam) refert: Quia hoc, quòd est refert præcisè ea, quæ conducunt ad aliquem finem, etiam convenit duobus finibus intermedijs inter se non subordinatis, necnon finibus qui apud hos Authores dicuntur ultimi negativè: ergo aliquid amplius debet habere finis ultimus positivè, prout ab his distinguitur. Ad instantias constabit ex dicendis duobus dubijs sequentibus. Hæc diximus per modum præsuppositionis, aut notationis pro recta intelligentia finis absolute ultimi, de quo procedit dubium, & vt in eius decursu inoffenso pede procedamus.

83 Nota secundò, quòd de fine ultimo possumus loqui dupliciter: Primo modo pro ipsa ratione formali ultimi finis, quæ coincidit cum ultimo fine formali, seu in abstracto, idemque est ac beatitudo in communi, prout præcisè dicitur à quolibet subiecto in particulari. Secundo modo potest sumi pro subiecto, in quo prædicta ratio invenitur, & coincidit cum fine materiali. Igitur præsens difficultas non procedit de fine ultimo formali, quia cum talis finis concipitur abstractè, evidens est eum non posse concipi nisi per modum unius, quia abstractum vt abstractum vnum est, nec potest multiplicari, scilicet nec forma multiplicari possunt nisi per subiecta. Itaque qui appetere esse beatum absolute & præcisè, non potest in ipsa beatitudine aliquam multitudinem excogitare, donec descenderet ad rem, quæ beatificandus est. Et hæc ratione sermo tantum potest esse de fine ultimo materiali, seu in particulari, & in concreto: In quo sensu Philofophi cum multiplicarunt, alij ponentes eum in voluptate, alij in divitijs, alij in honoribus, &c.

84 Nota tertio, finem ultimum in hac posteriori acceptione esse duplicem: alium verum, in

in quo in rei veritate reperitur propria ratio finis ultimi, idest, ratio boni satisfactivi; & huiusmodi est solus Deus: alterum confictum & apparentem, quem appetens sæpe confingit. Dum ergo inquirimus, an idem homo possit appetere duos fines ultimos totales, non debet intelligi de duplici fine vero, cum certum de fide sit, huic esse solum Deum; sed de duplici fine vero, & ficto, aut de duplici ficto.

85 Nota quartò, poni in titulo quæstionis illam particulam *idem homo*: quia nullum dubium est, quòd diversi homines pro eodem tempore possint habere diversos fines ultimos totales, vt constat in vno homine iusto, & alio peccatore. Addimus particulam *simul*: quia certum omnino est, successivè id non repugnare: vt liquet in eodem homine nunc in illo, & in tempore sequenti peccatore. Sicut citra omne dubium est, posse eundem hominem appetere plures fines ultimos partiales, vt contingeret, si appeteret aggregatum ex pluribus bonis partialibus. In quo sensu, cum D. Thomas sibi opposuisset id, quòd ait Div. August. 19. de Civitate Dei, scilicet, quòd quidam vicium hominis finem posuerunt in voluptate, in quiete, in bonis naturæ, & in virtute, sic respondet: *Ad primum, dicendum, quòd omnia illa plura accipiuntur in ratione unius boni perfecti ex his constituitur.* Sed revera, eo ipso quòd prædicti fines partiales sint, potius dicendi sunt non ultimi, quia ad totalem ordinantur, sicut pars ad totum.

86 Nota ultimo, eundem hominem simul habere, seu intendere duos fines ultimos totales stare multipliciter. Primò itaut vtrumque intendat formaliter; secundo itaut vtrumque respiciat habitualiter. Tertio itaut vnum intendat formaliter, & alterum virtualiter. Quarto itaut vnum intendat actualiter, & alium habitualiter. Quintò itaut eos intendat disiunctivè, id est hunc, vel illum. Iuxta omnes hæc combinationes necesse præsens controversia, vt maneat ex omni parte completa.

§. II.

Prima, & secunda assertio.

87 **D**ilectum est, implicare contradictionem, quòd idem homo possit simul, & formaliter intendere duos fines ultimos totales, & adæquatos. Ita Div. Thomas in præf. art. 5. & cum eo communiter Theologi. Et colligitur non obscure ex Scriptura: Nam Matth. 6. dicitur: *Nemo potest duobus Dominis servire.* Idest, non subor dinatis inter se, vt exponit D. Thomas in argum. Sed contra: Et propterea addit: *Non potest Deo servire, & mammonæ.* Idipsum deducitur ex illo 3. Regum 18. vbi refert, nostrum Protoparentem Eliam increpassse populum, eò quòd vna pars servio vo-

lebar Deo, & altera ido lis, & dixisse: *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* Et addit facer textus: *Non respondit populus ei verbum:* quia convinceretur Elij dicto, vt pote lumine naturali. Deinde potest pluribus rationibus probari, ex quibus tres adducit Div. Thomas in præf. Sed, misis alijs brevitatibus gratia:

Probat hac vnica ratione, quæ inter rationes Div. Thomæ est prima, & ad quam cæteræ reduci valent: Nam de ratione ultimi finis est, quòd sit bonum perfectum & omnino satisfactivum appetitus; sed implicat in terminis, duo huiusmodi bona proponi simul voluntati: ergo repugnat, quòd simul appetat duos fines ultimos totales. Maior per se liquet: nam de ratione finis ultimi totalis est esse tale bonum, vt in eo quiescat appetitus; & nihil extra illud quærat, alias non esset finis ultimus; nisi autem apprehendatur vt bonum perfectum & plene satisfactivum, non quiescit appetitus, quia semper quærit suam ultimam perfectionem, per quam facietur. Adde: Quia eo ipso, quòd non appetatur vt bonum perfectum & vt plene satisfactivum, appeteretur vt bonum imperfectum & pars boni perfecti; de ratione autem boni imperfecti, & quòd sit pars boni perfecti, est, quòd appetatur in ordine ad bonum perfectum & totale, sicut quilibet pars ordinatur ad suum totum.

Minor vero probatur: Tum, quia implicat in terminis, aliquod bonum proponi voluntati vt plene satisfactivum & perfectum, & quòd ex vj propositionis deficiat ei aliquid; sed cuiuslibet ex illis bonis deficeret ei aliquid, cum deficeret vni, quòd alter haberet: ergo implicat in terminis, quòd duo bona perfecta & plene satisfactiva proponantur simul voluntati. Tum etiam: nam eo ipso, & quòd proponerentur duo huiusmodi bona, quodlibet ex illis explet, & non expletur capaciatem voluntatis: explet, quia esset perfectum, & plene satisfactivum: non expletur, quia relinquit capaciatem ad appetendum aliud bonum, non vtrumque, sed plene satisfactivum; hoc implicat in terminis: ergo. Hæc ratio, vt clarior appareat, potest alijs terminis facillioribus proponi sub hac forma: De ratione finis ultimi totalis est, quòd appetatur præcisè propter se, & quòd omnia appetantur aliquo modo propter ipsum; sed repugnat, duo bona ita se habere: ergo repugnat, quòd voluntas simul appetat formaliter duos fines totales. Maior satis liquet ex dictis num. 81. & 82. Minor verò probatur: nam vel vnum ordinatur ad aliud; vel non: v. g. bonum A ad bonum B, vel contra? Si primum: ergo bonum A non appetitur præcisè propter se. Si secundum: ergo ad bonum B non ordantur omnia: Ergo repugnat, duo bona ita se habere, vt quodlibet appetatur propter se, & cætera appetantur propter ipsum.

Nec